



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De Angelis deputatis ad custodiam hominum, 27

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

creto consistorii tui, ego quidem ignoro, unde & valde timeo.

2. Tu vero nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est ; & quod futurum est, jam factum est. Ego autem quia sto in hac nocte tenebrosa hæc ignorans, timor & tremor venerunt super me : dum video mihi undique imminere multa pericula, à multis quoque hostibus venari, multitudineque innumerarum misericordiarum in hac vita me circundari. Et nisi in his tantis malis adforet mihi tuum administrulum, desperarem.

3. Sed spes mihi magna subest de te, misissime Princeps, Deus meus : & consideratio multitudinis miserationum tuarum, quæ apud te sunt, sublevat mentem meam. Et præcedentia signa misericordiæ tuæ, quæ me antequam nascerer, prævenerunt, & nunc specialiter in me effulserunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus & perfectioribus muneribus, quæ amicis tuis reservas, spem meam admonent ; ut in te latetur, Domine Deus meus, latititia sancta & viva, qua semper latificas juventutem meam.

### C A P V T   XXVII.

*De Angelis deputatis ad custodiam hominum.*

1. Dilexisti enim me, unice amor meus, antequam diligerem te, & ad imaginem tuam creasti me, omnibus creaturis

ris tuis præposuisti me. Quam dignitatem nunc quidem seruo, cum noverim te, propter quem fecisti me.

2. Insuper facis Angelos tuos spiritus propter me: quibus mandasti, ut custodiant me in omnibus viis meis: ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes, super muros civitatis tuæ novæ Hierusalem, & montes in circuitu ejus: vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum: ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens adversarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circumit, quærens quem devoret. Hi sunt cives beatæ civitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: ut eos liberent ab inimicis suis: & custodiant in omnibus viis suis, confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant, in conspectu gloriae maiestatis tuæ.

3. Diligunt nempe concives suos, per quos suæ ruinæ scissuras restaurari expectant. Ideoque magna cura, & vigilanti studio, adsunt nobis: omnibus horis & locis succurrentes, & providentes necessitatibus nostris, & solicii discurrentes inter nos & te Domine: gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris;

nostris ; intrant & exeunt nobiscum : attente considerantes , quam pie , quam honeste in medio pravæ nationis conversemur : quantoque studio & desiderio quæramus regnum tuum , & justitiam ejus ; quantoque timore & tremore serviamus , & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adjuvant laborantes , protegunt quiescentes , hortantur pugnantes , coronant vincentes ; congaudent gaudentibus , de te (inquam) gaudentibus ; compatiuntur patientibus , pro te (inquam ) patientibus.

4. Grandis est eis cura de nobis : magnus est affectus dilectionis eorum erga nos : & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis , qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis ; custodiunt quos tu custodis : & deserunt quos tu deseris ; nec diligunt operantes iniquitatem ; quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem , & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus , gaudent Angeli , & tristantur dæmones. Quoties à bono deviamus , diabolum lætificamus , & Angelos tuos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super uno peccatore pœnitentiam agente ; sed diabolo , super uno justo pœnitentiam deserente. Da igitur , da Pater eis semper gaudere de nobis , ut & tu semper per eos lauderis in nobis ; & nos cum eis in unum ovile tuum adducamur , ut confiteamur simul nomini sancto tuo , creator hominum & Angelorum.

5. Hæc ipse commemorans , coram te

L 4

con-

confiteor, laudans te : quoniam beneficia tua magna sunt hæc , quibus nos honorificasti ; dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cœli ambitu continetur ; & quasi parva reputas hæc quæ sub cœlo sunt , nisi dares etiam ea , quæ sunt super cœlos. Laudant te, Domine, de hoc omnes Angeli tui ; confiteantur tibi de hoc omnia opera tua ; & ipsi sancti tui tibi benedicant. O honorificentia nostra , nos nimis honorificans , ditans , multis muneribus decorasti ! admirabile est enim nomen tuum , Domine , in universa terra. Quid est enim homo , quia magnificas eum , aut quid apponis erga eum cor tuum ? Dixisti enim , veritas antiqua : Delitiae meæ sunt cum filiis hominum. Nonne homo putredo , & filius hominis vermis ? Nonne universa vanitas omnis homo vivens ? Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos , & adducere eum tecum in judicium.

## C A P V T   X X V I I I .

*De profunda prædestinatione, & præscientia Dei.*

1. **D**OCE me abyssus profundissima, creatrix sapientia, quæ librasti in pondere montes & colles , in statera molem terræ tribus digitis appendisti. Suspende molem corporalitatis hujus quam gero , tribus invisis digitis tuis ad te, ut videam & cognoscam quam admirabilis es in universa terra. Lux antiquissima , quæ lucebas ante omnem lucem,